

IV. *Nobilissimi Viri ADAMI LEYEL Reg. Colleg. Metallici Assessoris NARRATIO accurata de CADAVERE HUMANO in fodina Cuprimontana ante duos annos reperto. Ex Actis Literariis Sueciæ. Ann. 1722. Trimest. I.*

A Nimalcula quævis, insecta, pisces, cochleas & chylia, fructus quoscunque, arbores, semina, & herbas in lapides abire, & in faxeam mutari duritiem, experientia quotidiana, & innumeræ res, lapidea rigiditate asperæ, tam intra Svioniam, quam apud exteros passim obviæ testantur. Hæc petrificatio, s. solidum in lapidem transformatio, originem ducit a tenuissimo halitu calcario, aut alio calce gravido minerali vapore, qui se fumi instar in animalium quorumvis & vegetabilium poros ingerit, sedem ibi figit, ac vi subsalsæ duritiei lapidescere cuncta cogit. Neque enim aliunde ardescenda est causa, cur pleræque tam indigenæ quam peregrinæ sic dictæ petrificationes, in montibus imprimis calcariis, aut etiam terra, calcarius ubi lapis effoditur, in conspectum prodeant, & ex iis eruantur: qua de re tam quæ in Germania & Helvetia, quam Anglia & Italia, lucem videre Lithographorum scripta, evolvi consuli que merentur.

Veram hancce, & solidam mutationem imitatur alia, sed rudior & imperfectior, & quæ mutationem mentiat, petrificationis species, incrustatio dicta, quam efficit faxea in subtilem viscum soluta substantia, qui occurrentium corporum superficiiei tenacius ubi adhæsit, lapideam iis crustam paulatim induit; haud secus ac fruges variæ, semina, corticesque condiri, saccharoque induci solent. Cujus generis in Bohemia, Germania, Anglia, aliisque

aliisque regionibus non pauca occurrunt, sed inferiore tamen loco, quam vera petrificata, censenda.

Porro varia etiam salium genera, alumen puta, sal culinare, & vitriolum, simili donata virtute deprehenduntur. Hæc corpora quidem non in solidum convertunt lapidem, falsitudine tamen sua, & constringendi vi, obvia quævis ita condensant & indurant, ut nativa posita mollitie, in lapideam duritatem deflectant.

Vitrioli autem, inter omnia salium genera, vaporem proclivem maxime & idoneum esse ad duritiam rebus quibuscunque hoc modo conciliandam, alia ut præteream, varia probant hominum membra, manus, pedesque, quæ fodina Fahlunensium cuprea, in aqua vitriolo fœta, subinde occurrentia præbet conspicienda; quæque vigore ac insita facultate vitrioli adeo induruisse patet, ut putredinis nescia corruptionem omnem morentur.

Illustre inprimis hujus veritatis documentum dedit in laudata modo Fahlunensium fodina repertum haud ita pridem humanum cadaver, ante 50 circiter annos infelici ruina obrutum ibi contumulatumque: sed quod erutum integrum, ac sive carnem, sive cutem respicias, mutationis omnis expertus comparuit, præterquam quod corneam contraxisset duritatem.

De incorrupto hocce cadavere Novellis Hafniensium Literariis * narratiunculam ante aliquod tempus insertam vidimus, quæ tamen quum circumstantias nonnullas omittat, nonnulla rursus tradat, quæ cum rei veritate minus congruant, hinc rem non ingrati facturum me spero, si post lustratum rite cadaver, & collectas fide dignas loci incolarum relationes, facti historiam sequentem in modum cum eruditis communicavero, schemaque adjunxero, quod non fodinæ minus faciem, quam oppressi ruina hominis habitum adumbret.

* Extrait des nouvelles du mois de Septembre 1720. p. 207.

Anni 1719. mense Decembri, cum Wrediani putei cuniculus (*Wred-Schachtz Stollen*, vid. Lit. I, Fig. 6.) in cum, qui (*Mårdskins-Schachtz korgestaden*, Lit. D.) vocatur, agendus ducendusque esset, in puteo eodem (*Mårdskins Schachtet*) 82. orgyias profundo, loco quem Lit. L. designat, in rupis ipsius confinio, sub aqua & 5 orgyiarum ruina, defuncti hominis corpus in conspectum venit. Utrumque crus, cum brachio dextro & capite, avulsa petrae moles contuderat: facies vero, corpusque reliquum cum veste, integra plane & intacta cernebantur; habitusque totus viri, collariae fasciae ora extremâ, sinistrae manus ope, os obturantis, is erat, quem Lit. K. exhibet ac demonstrat. Crumenâ, quam gerebat, pyxis ex orichalco oblonga, pyxide vero tabaci condebatur frustulum, utroque illaeso & integro; ductitium autem ferrum, quo ad pyxidem annecti operculum volvi que solet, aqua tincta edaci vitriolo totum absumferat. Caro hominis cutisque, asperae licet & durae palpantibus viderentur, non tamen lapidis ea erat durities, sed corneae aut unguinae, etiam specie, suppar, quippe quae cultro cederet scindique posset.

Post extractum tumulo, fodinaeque corpus, diligenti examinatione quaesitum est, ecquis esset, qui agnoscere posset defunctum, aut quando periisset, scire? cum *Magnus Johannis*, metallicus in *Korsgårdén*, probe illum a se de facie, quippe quae lineamenta omnia illibata fervet, agnosci, idque coram confesso Metallico, profiteretur; subjungens etiam nomen, vocatum eum ajebat *Matthiam Israëlis*, alias, ob proceriorem paulo staturam, *Matthiam Magnum* seu *Procerum*, qui in Boda Swerdsjöensis parociae pago editus, operam *Jonae Petri* in *Dijkarebacken* locasset. Succurrit porro *Matthiam* hunc *Israëlis*, postquam anno 1670, & tempore quidem autumnali, solus capsula vectus descendisset in fodinam, desideratum, dubioque procul ruina suffocatum fuisse.

fuisse. Dictis fidem fecere idem affirmantes *Ericus Michaëlis* Prætor Metallicus, & *Ericus Petri* Restiarius. His accedebat vetula, quacum vivus adhuc *Matthias* sponsalia contraxerat, quæ, veteris & jam reviviscentis amoris jure, exanime corpus sibi concedendum, aut terræ saltem mandandum postulabat. Aderant & alii plures, illum qui agnoscerent, & narrationis hujus veritatem confirmarent.

Quadraginta novem adeo annorum spatio, ab anno videlicet 1670. ad annum 1719. sub terra delituerat *Matthias* hicce *Procerus*, e qua in lucem protractum, in perpetuam rei memoriam, vetus ædes fodinæ publica excepit: in qua hodieque integer, & tam quod ad vestimentum & lintea, quam carnem, cutem, capillum, & unguës, incorruptus, fœtorisque omnis expers, oculis intuentium fissitur; solo aquæ vitriolo abundantis ministerio exsiccat, & contra putredinis vim munitus.

Ex fideli hac certa que, quantum quidem ex loci ipsius incolis hauriri potuit, notitia haudquaquam petrificatum cadaver hoc, aut in lapidem mutatum, sed aquæ tantum vitriolo scatentis beneficio induratum esse liquet. Quid quod vitrioli naturæ & ingenio magis nil, quam ejusmodi petrificandi vis repugnat: quippe quod nil unquam in saxum convertat; tenuissimi verò vaporis vegeto motu omnia perrumpat, stringat, ac a putredine interituque tueatur.

